


Ex Libr. 10. INTIMATIO
SE V S C R I P T V M
P V B L I C E P R O P O S I T V M
IN ACADEMIA VVITE-
BERGENSI,



AB

V R B A N O P I E R I O D.
ANTEQVAM PRAELECTIO,
nem Augustanæ Confessionis
inchoaret.



VVITEBERGÆ,
Typis Zachariæ Lehmanni.
M. D. XC.

PIETATIS ET DOCTRINÆ
ORTHODOXÆ IN ACADEMIA INCLYTA
VVITEBERGENSI STVDIOSIS.
S. D.

SOCRATE, historiæ Ecclesiastice autore, memoriæ proditū est, cum Acacius, qui Arij partes uebatur, in Seleucensi concilio Symbolū Antiochenum, quod in Encænjs traditum erat, Nicæno præferendum, mirum in modum contenderet, atq; eò audacie progrederetur, ut nouam fidei confessionem Ecclesiæ Christi obtrudere non dubitaret: tum igitur Sophronium, pietate & virtute præstantissimum virum, ad hunc modum se ei opposuisse, ut hoc responsi daret: Si, inquit, noua in singulos dies nostræ ipsorum voluntatis & sententiae prolatio, fidei formula sit: fieri non potest, quin accuratam veritatis perceptionem breui amissuri simus.

GRauissimam me hercule vocem, & dignam, cuius hoc loco atq; tempore mentio fieret. Verum enim uero est confessio fidei & doctrinæ nostræ professio, qua mentis ac voluntatis assensionem ac fiduciam ad Deum atq; homines ita exprimimus, ut quid de vniuersis atq; singulis Christianæ religionis capitibus sentiamus, inde manifestè appareat Iuxta illud regij Prophetæ: Credidi, propter quod locutus sum. Et illud Apostoli: Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem. Quod si ea fidei veræ conditio est, ut illam scripturæ sacræ immoto fundamento nisi oporteat: Valde impudens sit, & cum ratione insaniat necesse est, quicunq; idem de fidei professione negare ausit: Etsi enim formulæ istiusmodi confessionis, si verba species, saepenus mero inter se discrepare plurimum, quin dis diæ macræ dissentire videntur: tamen si in rebus ipsis congruant, & uerborum sanorum verborum retineantur, non morosos neq; difficiles nos esse conuenit. Neg verò ego is sum, qui eorum effrenatam libidinem probandam censem,

censem, eorum inquam peruersitatem, qui fastidientes usitatam do-
ctrinam, & noua atq[ue] prodigiosa dogmata suspicentes & admirantes,
malunt cum Hippia in eam curam in primis incumbere, vt aliquid
noui, in iudicii & in usitati in mediū adferant: quidem cum Socrate eas-
dem crebris sermonibus, & quidem eodem modo repetere, vt est apud
Xenophontem, hoc vel in primis consilio, vt opinor, ne quid ab alijs di-
dicisse, vel in star cornicis Aesopicæ alienis plumis se exornasse vide-
antur scilicet. Genus hominum in Ecclesia pestilentissimum, dum ma-
nuit quisq[ue] autor esse sententiae suæ quam assertor alienæ. Hinc tot
dissidia de religione, & quot fermè capita, tot sensus in Christi Eccles-
ia extitère cum detrimento discentium irreparabili, quod querelis iu-
stissimis deplorari sanè potest, at emendari vix, ac ne vix quidem po-
test, his præsertim hominum moribus, qui Cyclopum faciem referunt,
quorum gubernatio à Sileno descripta exstat insigni hoc elogio:
Nouades, anq[ue] s[ed] d[icitur] s[ed] d[icitur] s[ed] d[icitur].

Præclarè igitur ab Illustriss. Germaniæ Principibus facilita-
tum est, quod priuatis ac publicis periculis gloriam Dei anteferentes,
& de sua ac subditorum salute piè solliciti, non tam veritati cœlestis
doctrinæ, per ter illum Max. Martinum Lutherum, exinium Dei
seruum & salutare organum, ineffabili bonitate diuina instauratæ,
atq[ue] à tristiss. errorum pontificiorum tenebris, & profundiss. supersti-
tionum inuolucris repurgatæ, locum dedere: quam semel agnitam for-
titer tueri perrexere, neq[ue] ullis minis ac terroribus sibi ac suis immi-
nentium periculorum frangi potuere, quin Augustæ Vindelicorum,
anno supra millesimum quingentesimum trigesimo, potentissimo & in-
uictissimo Romanorum Imp. Carolo V. confessionem exhiberent, Io-
hannes Semptemuir creandis Impp. Romanis pater, & Iohannes Fri-
dericus filius, Saxoniæ Duces, vñâ cum cæteris Principibus & ci-
uitatum Imperialium legatis, quorum nomina ad confessionis calcem
subscripta meminimus. Inde factum est, vt scriptum istud Augustæ
oblatum,

oblatum, comprehendens capitibus aliquot expositam & explicatam
doctrinam eam, quam Ecclesiæ Saxonice & cum his concordantes
profitebantur, Augustanæ confessionis nomen atq; titulum obtinuerit.
Non minor laus illustriss. & æterna memoria dignissimos Principes
manet, aium Henricum, patruum Mauricium & Augustum pa-
trem: qui & ipsi nihil prius, nihil antiquius duxere, quam ut harum
regionum Ecclesiæ ab idolomania pontificalia repurgatae essent, & in
illis Veritatis cœlestis professio, rebus quantumuis dubijs & diffici-
bus, conseruaretur, et ad posteros trāsmitteretur. Et tu illustriss. parē-
tū illustrissima soboles, macte pietate ac virtute, nomine ac re CHRI-
STIANE, Princeps ac Domine clementissime, qui auitam virtu-
tem imitatus, & vestigijs paternis insistens, fidum Ecclesiæ Christi
nutricium agis, inq; hoc vnum, præsentे hoc eoq; longe tristissimo re-
rum statu, indefesso studio incumbis, ut rabies, furor ac maledicentia
eorum, qui non necessarijs de causis Philarchias nq; culnadas oīspō
mēsphoi, id est, ambitione & irarum atq; odiorum flammis accensi,
inter nos dissidia volunt, & quibus Ecclesiæ vulnera, quæ sanari sa-
tius erat, refricare & augere volupe est, digna tanto Principe graui-
tate compescatur, & sua Ecclesiæ pax ac tranquillitas restituatur.
Scilicet tanto maiora pietatis in Deum & Ecclesiam præmia atq; glo-
ria & tua & illustrissimæ sobolis, ad omnem posteritatē futura sunt:
quanto laudabilius est propositum hoc tuum, ad gloriam nominis diuini
& salutarem Ecclesiæ concordiam directum: & quò minus vel illa
infidorum θελητæ, vel male feriotorum calumniæ à semel præclare
cepto cursu te retrahere potuerunt.

SEcundo loco commendationem meretur insignem Philippus
Melanthion. At qualis ac quantus vir? ὄφαλυς τῆς σπαναῖ, id
est, oculus exercitus Euangelizantium, & Martino Luthero diuinis
tus succenturiatus, illiusq; magis ac ouiseros constantissimus, sa-
cerdarum literarum solertissimus & fidelissimus expicator, Veritatis
cœlestis

cælestis patronus, & propugnator in primis strenuus, opt. disciplinarum & artium cum instaurator tum conseruator, qui omnem doctrinam quasi vagam ac dissipatam collegit, & ad certam rationem reuocauit: vir pietate, studio puræ castæq; religionis, sapientia, virtute, humanitate, benignitate erga omnes præstans. Libuit enim nunc de hoc viro usurpare ea verba, quæ præclarè tumulto illius hoc loco inscripta esse pleriq; memincrunt. Hic igitur sanctissimus vir Augustanam confessionem, opera studioq; & cura atq; immenso labore conscripsit, cum & cæteri singulorum Principum & statuum Rom. Imperij, in hoc religionis negocio coniunctorum, Theologi tale quid exponere & scripto comprehendere iussi essent. At sola illa formula, quæ à Philippo composita erat, præ reliquis mirificè probata, publicè recitata, & Carolo V. Imp. oblata, ac postea, mandatibus Illustriss. principibus, & sciente atq; approbante Luthero, aucta, & quod nonnullis in locis cum Pontificijs facere videtur, correcta, atque ad hunc modum in colloquijs religionis causa institutis usurpata est. Eam confessionem tum Philippus scripsit solus, cum quidem reprehensores haberet multos, adiutorem neminem: Quemadmodum ipse met in epistola ad Flacium testatur. Ut mirum profectò piæ menti accidere possit, esse qui hanc beatissimæ animulæ inuidere audeant, & haberi viro optimè merito pro pia cura ac solicitudine ac tot exantlatis laboribus pessimam gratiam: Nisi illud secum accuratè perpendat, esse felicitatis, inq; primis virtutis comitem inuidiam: Et regium esse, si bene feceris, male audire. Ita enim mirari desinet. Negat tamen ob sceleratam plurimorum improbitatem, bonorum quoq; fors, quantumvis per paucorum, deterior esse debet, neq; eodem hi, quo illi, loco habendi sunt. Siquidem per Dei gratiam adhuc non reperiuntur nulli, qui hanc ipsam confessionem atq; illius repetitionem sartam teatam esse cupiunt, & suo quoq; lo-

eo efficere student sedulò, vt huius scripti diuinum opus ad posteros
transmittatur: deniq; quibus Philippi Melanchthonis memoria grata
& religiosa est. Laudatissimam igitur operam nauant ij, qui sacra-
rum literarum interpretes, vna cum scriptorum diuinorum, quæ ob-
excellentiam B[ea]tæ duci constat, enarratione, etiam Augustanæ con-
fessionis explicationem coniungunt. Quoniam breuissimo illo scripto
religionis Christianæ capita ad hunc modum cùm ordine disposita, tūm
simplice & aperta assertione illustrata definitaq; sunt, vt à tempore
oblatæ confessionis certa & explicata ratio doctrinæ cœlestis Verita-
tis uno scripto oculis docentium ac discentium proposiæ extare cœpe-
rit. Quæ equidem ab alijs eò rapi nolim, quasi diuinam huic scripto
autoritatem tribuam. Tantum enim sacræ scripturæ, vt pote quæ à
Dei spiritu, sanctis hominibus illam inspirante atq; dictanie, profecta
est, ea autoritas esse debet, vt sola autem sit, & assensionem om-
nium mereatur. Cum hac si Augustana confessio nostra congruit, vt
certè in sano intellectu congruit: inde omnino illius autoritas æsti-
menda venit, atq; ea à nobis facienda est maximi. Quotus ^{etiam} enim quisq;
est, qui inficias ire ausit, opera & premium esse, hoc præsertim seculo, vt
iuuentus studiosa, quæ paulatim succrescit, ad certum dicendi genus
assuefiat, si illius operam Ecclesiæ & Scholis aliquando usi esse cu-
piamus. Dixerim absq; alterius cuiusquam inuidia, in nullius scri-
ptis eam rerum copiam ac grauitatem, verborum perspicuitatem &
proprietatem & iudicij dexteritatem reperiri posse, præterquam in
Philippicis. Hic hic enim in suis scriptis & docet, & pugnat, & vin-
cit, & triumphat. Si cui huius viri scripta placent, is plurimum se
profecisse sciat. Et si qua grata posteritas futura est, quod haud scio
an hisce hominum moribus sperandum non sit, illa & rectius & hono-
rificentius de sanctissimi huius viri laboribus iudicabit. Quid, quod ad-
versariorum furiosi clamores hac ratione compescendi sunt? Ita enim
Pontificij, modo velint, intelligent, fidem nostram ne quaquam men-
struam

struam esse, neq; nouas subinde confessiones à nostris ita componi, vt
à prima illa Augustæ exhibita, & annis subsequentibus correctius
edita, propterea discesserimus. Intestini vero nostrarum Ecclesia-
rum hostes, crudeles hypocritæ, manifesti mendacij & atrocis ac viru-
lentæ calumniæ conuicti deprehendentiur, dum harum regionum Eccle-
siæ turpissimæ detectionis, nescio quibus de causis, iniquissimè insi-
mulant. Nisi fallor, male habet improbos illos homines, non relinqu-
amplius locum ijs, qui primatum affectabant, & de pulpitis ac catadu-
pis debacchantes, rixas ac lites pernicioſas atq; exitiales mouebant, vt
quauis ratione de se conceptam existimationem tuerentur, & honori
suo consularent, licet susq; deg; omnia ferrentur & pessum irent: &
restitui salutarem, ac multos nunc annos ardentibus suspirijs expeti-
tam pacem afflictae Iesu Christi Ecclesiæ: neg; eis inua pro norma
agnosci: sed secundum præscriptum librorum Propheticorum & A-
postolicorum, trium Symbolorū & Augustinæ confessionis, anno 30.
exhibitæ & postea recognitæ, eiusq; Apologiae, studia docentium ac
dissentium conformari. Scilicet hoc graue illud scelus est, de quo alius,
vt spero, atq; is commodior dicendi locus dabitur.

Hoc consilio, ab Illustriſſ. Electore, Domino nostro clementiſ-
ſimo, in hanc toto terrarum orbe celebratissimam Academiam, nunc
ego ablegatus sum, qui post obitū Reuerendi & Clarissimi viri, Dn.
D. Davidis Voiti publicas docendi partes sustinerem. Ausim vobis
de Christianissimo Principe polliceri, inclytum hoc atq; heroicum pe-
tus, & magnificum consiliariorum collegium solicite cogitare, qua
ratione vir pietate, doctrina, humanitate & virtute præstantissimus
Pastori pie defuncto succedat. Interim, ne quid detrimenti caperet
Rēp. Ecclesiastica & literaria, mihi partes illæ commissæ sunt. Non
quod vnuſ ego ē tot præstantibus & maiore doctrinæ copia à Deo in-
structis viris electus sim, qui hanc Spartam exornarem: verum ab
ijs buc concedere iussus, quorum neg; autoritatem morose aſternari,
neg;

neq; voluntatem temerè negligere me debere agnosco ac profiteor.
Quæ sanè istiusmodi sunt, vt candidus lector necessitatē buc migran-
di mihi allatam intelligat: néue q:is me vnum ex ijs esse censeat, quos
D. Petrus à Moroem̄ nominat, qui etiam non missi currunt
tamen, vt est apud Ieremiam Prophetam. Ego verò diuina & legiti-
ma hac vocatione fretus, animum meum illius cogitatione mirificè
recreari sentio, & in fiducia non alienæ à me voluntatis diuinæ sola
acquiesco: sumpturus in manus ad explicandum Augustanam confes-
sionem. Quod vt felix & faustum esse iubeat, benignissimus ille om-
nis misericordiæ pater, per & propter Filium Iesum Christum, ἡγού-
μων αἰδίον, μετά τὸν οὐκέτιν, toto pectore & ardentiissimis gemitibus
precor. In illius scripti mediocri explicatione, vt, vires animi & cor-
poris Deo benignè augente & conseruante, labores, studium, operam,
curam, diligentiam & fidelitatem, quæ mediocrem scientiam & in
administratione sedulitatem complectitur, de me auditores expecta-
bunt: ita de industria & modestia eorum vicissim optimi quæq; mihi
pollicor. Illi enim à se requiri, vt sint φιλομαθεῖς, φιλήκοοι καὶ γν-
ητικοὶ, meminerint. Faciam harum operarum initium ad diem crasti-
nūm, qui est 26. Martij hora IX. in auditorio magno Collegij noui.
Qui igitur publicarum prælectionum auditores esse cupiunt, dicto loco
& tempore comparebunt, modestos se gerent, candidè de meis labori-
bus iudicabunt, & vt uno verbo omnia complectar, eos se esse proba-
bunt, quos veritatis & pacis amantes esse decet: præstituri officium
pietatis Deo gratum, Magistratui debitum, parentibus acceptum,
& sibi in primis fructuosum. Benè & feliciter va-
lete. VVitebergæ P. P. die Conceptionis / d. 25 Mart.
Christi, anno &c. 90.

1g. 6961 a 6A

Urbanus Pierius D.

Pon Vg 6961 ~~a~~
1 QK

ULB Halle
005 302 471

3



Farbkarte #13


B.I.G.	Black
3/Color	White
Magenta	Red
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

INTIMATIO
SE V S C R I P T V M
P V B L I C E P R O P O S I T V M
IN ACADEMIA VVITE-
BERGENSI,

AB

VRBANO PIERIO D.
ANTEQVAM PRAELECTIO,
nem Augultanæ Confessionis
inchoaret.



VVITEBERGÆ,

Typis Zachariæ Lehmanni.
M. D. XC.

